






He. 10.^a 2

912
B. 3863

SYNOPSIS
POETICES
LATINÆ,

Sen

Præcepta Poetica, succinctè
tradita & explicata, captui-
que tyronum angustæ
accommodata,

Ab

ANTONIO ITTERO,
Philosophiæ Magistro & p. t.

Gymnasii Mæno-Franc-
furtani Con-
Rectore.

••(o)••

FRANCOFURTI,

Sumptibus

CASPARI WÆCHTLERI,

Typis Balthasaris Christophori Wustii.

M. DC. LIX.

2 V N O 4 212
P O E T I C E S

L A T I N A

P R O

P O E T I C E S

P O E T I C E S

P O E T I C E S

P O E T I C E S

P O E T I C E S

A B

P O E T I C E S

P O E T I C E S

P O E T I C E S

P O E T I C E S

P O E T I C E S

P O E T I C E S

P O E T I C E S

P O E T I C E S

P O E T I C E S

P O E T I C E S

P O E T I C E S



PROOEMIUM.

I. **P**Oetica est facultas bene conficiendi carmina.

II. Partes eius sunt duæ.

1. De cognoscenda quantitate syllabarum.

2. De carmine, ejusque affectionibus & speciebus.

ἔκθεσις.

§. I. **P**Oetica Græcè ποιητική, à ποιέω facio, seu propius à ποιητής, quod est à ποιέω, & quidem à tertia persona, perfecti passivi ποίηται. Dicitur aliàs *profodia*, à πρὸς ad & ὠδή cantus, quasi *accentus*, quòd accentus doceat syllabarum, rectamque earum pronuntiationē. Quamvis, si accuratiùs agamus, *profodia* quæ talis, tantum quantitatem & accentum tradat, adeoque priorem tantum & generalem poetices partem exhauriat.

A 2

§. 2.

LIB. I. C A P. I.

§. 2. Poëtica commodissimè in duas partes dispeleitur, quarum altera *generalis*, quæ circa syllabæ quantitatem demonstrandam occupatur; altera *specialis*, quæ, quid sit carmen, quæque eius requisita, affectiones & genera, uberius declarat.

L I B. I.

C A P. I.

De Quantitate syllabarum.

- I. Quantitas est, quâ syllaba *brevis*, *longa*, vel *anceps* dicitur.
- II. Quantitas cognoscitur seu *regulis*, seu *authoritate*.
- III. Regulæ sunt vel *generales*, quibus *plurium*; vel *speciales*, quibus *unius* tantum syllabæ quantitas dignoscitur.
- IV. *Authoritas* est, cum ex authore probato, syllabæ quantitas demonstratur.

enDe-

Ex Grecis.

§. 1. **Q**uantitas hinc *notionalis* est, ad similitudinem *realis*, corpori naturali inherens, efficta. Hinc syllaba cum mora quadam pronuntiata, *longa*; sine mora, *brevis*; promiscuè verò, modò cum, modò sine mora elata, *anceps* dicitur.

§. 2. Media syllabæ quantitatis cognoscendæ alii tria numerant, *regulas*, *accentum* & *authoritatem*; sed ratio accentus, syllabæ penultimæ quantitatem demonstrans, sub regula de diminutione & analogia infra, cap. 4. nobis comprehenditur.

§. 3. Syllaba est vel *prima*, *media*, vel *ultima*, regulæ igitur vel ad plures syllabas simul pertinent, nempe aut *omnes*, aut *aliquas* saltem; suntque *generales*; aut ad *unam* tantum in specie, nempe, vel ad *primam*, vel *mediam*, vel *ultimam* determinatè, suntque *speciales*.

§. 4. Sic prima syllaba in *oculus* brevis est, authoritate Ovidii:

Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.

CAP. II.

Regula I. generalis.

I. Vocalis ante vocalem, in eadem di-

A 3

ctione

atione posita corripitur. Ut: *delin̄ia*,
rēus, *p̄ius*.

II. Excipiuntur 1. *Genitivi nominum & pronominum in ius ancipites*, præter *alius & solius*, semper productum; & *alterius*, semper correptum.

2. Verbum *fio*, literâ R non accedente productum, ut: omnia nunc *fient fieri* quæ posse negabam. Ovid.

3. Genitivi & dativi, quintæ declinationis, qui E purum ante I produciunt, ut *diei*, *aciei*, *progeniei*.

4. Genitivi antiqui primæ declinationis, in *ai*, ut *aulai* *aquai*, ut & vocativi secundæ declinationis in *ai* & *ei*, ut *Cai Pompei* qui producuntur.

5. Nomina in *eius* & *oius*, antepenultimam produciunt, ut: *Priamēia* *virgo*. *Troius Heros*.

6. *Eheu* primam semper producit, ut: *Eheu* quam pingui macer est mihi taurus in arvo. *ohe*, primam nunc producit, nunc corripit, ut: *ohe*, iam satis est, *ohelibelle*.

7. O exclamatio, ante vocalem anceps est ut: *ôutinam tunc cum Lacedæmona, classe petebat.* Ovid.

Tecoridon ô Alexi trahit sua quemque voluptas. Virg. 2. Eclog.

Ex deo.

§. 1. **D**ico vocalem ante vocalem corripi, nempe si duæ istæ vocales in eadem inveniantur dictione, uti est in datis exemplis. Sin verò vocalis una dictionem priorem claudat; altera posteriorem inchoet, non quidem prior vocalis corripitur; sed elisa in sequentis quantitatem transit. Ut *imprecor arma armis.*

§. 2. Genitivi in *ius*, in soluta oratione semper producantur; in ligata verò sunt ancipites; quidam *alius* & *alterius* tantum hic exceptum eunt, juxta versum: *corripit alterius, semper producit alius.* Cæterum omnes modi & tempora verbi *sio*, quibus litera R non accedit, I producant, ut *sio siebam, siam, sies, fias, &c.* quibus autem R accessit, corripiant, ut *sierem, sieres, fieri &c.* E purum dicitur, quod antecedit vocalis, ut in Genitivo *speciei, progeniei &c.* E verò impurum, quod nulla antecessit vocalis, corripitur. Ut in Genitivo, *rei, fidei, spei &c.*

A 4.

Penul-

Penultima producta in Genitivis antiquis primæ declinationis est in illo Virgili, 3
Æneid.

Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Penultima vocativi in ai & ei longæ exemplum habet Martial.

Quod peto, da Cai, non peto consilium. Et
Ovid.

*Accipe Pompei, deductum carmen ab illo,
Debitor est vitæ, qui tibi Sexte sua.*

Græca, Græcam suam quantitatem retinent. Sic *aër, Laïs, Thais, Nais*, a producunt, non obstante positione vocalis, ante vocalem.

CAP. III.

De Regulis generalibus reliquis.

- I. Positio, diphtongus & contractio omnis longa est.
- II. Est autem positio, cum vocalem, proximè duæ sequuntur consonantes, aut una duplex, uti in voce *carmen* & *rexit*.
- III. Contractio est, quâ duæ syllabæ in unam contrahuntur, ut: *mî pro mihi, Dis pro Diis.* Ex-

Excipe i. mutam cum liquida in eadem syllaba coniunctam, quæ vocalem naturâ brevem reddit ancipitem, ut: *Et primò similis volucris, mox vera volucris.* Ovid.

2. Præpositionem præ in compositione ante vocalem positam, brevem, ut: *Stipitibus duris agitur iudibusq; præstus.* 7. Æneid.

3. Diphtongum in fine, quandoq; Græcorum move correptam, ut: *Insula Ionio, in magno quas dira Caelano.* Virg.

IV. Derivata retinent quantitatem sui primitivi. Sic *jocus* habet primam brevem, ergo & *jocosus* & *jocor*. Sic à *faux* *faucis* est *suffoco*, ab *ambulat* *ambulacrum* &c.

Exceptis i. præteritis & supinis dissyllabis, primam productis, præter sex præterita, *vuli, steti, bibi, scidi, fidi*; (à *findo*) & novem supina, *daturum, ratum, satum, itum, litum, quitum, situm, ritum*, (à *reor, se-*

A §

ro, eo

ro, eo, lino, queo, sino.)

2. Degenerant & alia ram à longis deducta brevia; ut *ārea* ab *ārista*, à *cōmo* *cōma*, à *dīco* *dīcax*, à *dītis* *dītio*; à *mōles* *mōlestus*, quàm à *bre* *vibus* *longa*, ut à *dēcem* *dēnus*, à *dux* *dūcis*, *dūco*, ab *hōmo* *hūmanus* à *lāteo* *lāterna*, & similia, quæ usu quàm regulis comprehendere *fari*us est.

ἐκδεσς.

§. I. **D**iphthongi apud Latinos sunt hæ quatuor: *Æ, œ, au & eu*. Quæ omnes natura sunt longæ, ut: *Æolus* *ē*, *clauso ventorum carcere regnat*. De Græcis tamen diphthongis observandum: diphthongum *i* apud Latinos modò in *i*, modò in *s* longum transire, ut *politīa*, *litanīa*, *idololatrīa*, ubi cernis *i* longum. Sic dico: *Chorēa*, *platēa*, *medēa*, *Achillēus*, *spondēus*, *chorēus* &c. ubi *e* longum est. Poetæ tamen haut raro ex *ā*, jota per syncopen abjiciunt, ut *e* breve remaneat. Sic *chorēa* & *chorēa*, *platēa* & *platēa* apud Poetas reperitur. ut:

Pars

*Pars pedibus plaudunt, choreas & carmina
dicunt. 6. Æneid.*

*Pura sunt platea, nihil ut meditantibus ob-
stet. Horat. 2. epist.*

*Sic ex συγγεγραμμένος, abiectio v fit συγγεγραμμένος
apud Virgil.*

Prima syracosio dignata est ludere versu.

§. 2. Notandum hîc est ad positionem re-
quiriti, ut utraque consonans vocalem secuta,
inveniat aut in eadem voce, aut altera di-
ctionem claudat; altera sequentem inchoet,
ut: *Quid faciat latus segetes &c.*

Quod si enim consona vocalem secuta, in-
sequenti dictione utraque inveniat; aut
nullam, aut valde debilem, parumque usi-
tatam effecerit positionem, ut:
Optima prima ferè manibus rapiuntur avaris.

Debilis item positio fit, cum vocalem fina-
lem brevem excipit *Se, Sp, Sq, St*, aut una du-
plex, nempe *X* aut *Z*, cuius rei exempla apud
Virgilium aliosque Poetas legas plurima.
Vide Poeticam Gissen. p. 9. unde & ultimam
vocalem brevem, ob insequentem mutæ cū
liquida conjunctionem, ancipitem esse vo-
lunt. unde Ovid.

*Nil opus est morte pro me ——— ubi e finale
ante pr producit. Sic & Virgilius: de out os
Terrasque tractusq; maris, calumq; profundum.
Ecl. 4.*

Ubi *e* finale propter insequens *tr*, itidem producit. Sed hæc faciliè imitanda non sunt.

Cæterum literis duplicibus etiam *I* & *V* solent accenseri, ob vim similem, quam habere purantur. Veteres enim *I* in medio duplicarunt, & *major*, *pejor* scripserunt. Vau verò præcedentem vocalem producere, patet exemplis & autoritate. Sic *Dī*vus, *vī*vus, *rī*vus &c. primam exinde producant. Ubi tamen *nī*vis, *nī*vosus, & derivata cætera excipiuntur. Quibus adde *Trī*vium, *bī*vium, *redī*vivus, *bī*jugus, *quadri*jugus, &c.

§.3. *Contractio*, Græcè *κράσις* aut *συρραφίς* appellatur. Estque opposita *diæresi*, distractioni, quæ unam syllabam in duas distrahit, ut in voce *suavis*, pro *suavis*, dissoluenda pro dissolvenda.

Præterea ad mutam cum liquida conjunctam, notandum hîc, exceptionem hanc valere, si utraque in eadem syllaba inveniatur: nempe & muta & liquida, uti in voce *parris*, *senebra*, & similibus. Sin verò *muta* ad præcedentem; *liquida* ad sequentem syllabam spectet, uti fit in compositis *ab-nuo*, *ab-rado*, *ob-ruo*, *ob-ligo*, & similibus, positio suam vim habet.

§.4.

§. 4. Derivata sequuntur originem, præter ea quæ hîc deflectunt, quæ longa serie recensita versibusque inclusa videas apud Giffenses, nec non illustriss. Principem Mauriti. Hass. Landgr. in Poeticæ l. i. c. 4.

CAP. IV.

De Regulis Specialibus.

- I. Regulæ speciales concernunt vel syllabas *primas*, vel *medias*, vel *ultimas*.
- II. *Primarum* syllabarum quantitas, factâ compositione, ipso accentu demonstratur. Sic *clarus* primam longam habet, quia factâ compositione, dico *præclarus*; è contrario præbus primam brevem, quia dico improbus.
- III. *Mediarum* syllabarum quantitas ex diminutione & analogia potissimū innotescit.
- IV. Diminutio est, cum vox syllabis aliquot diminuta docet quātitatem.

A 7

Sic

Sic e in docuërimus breve est, quia dico docuërim; syllaba tã in irritamentum longa, quia dico irritamen. V. Analogia est, cum ex simili vocabulo quantitas docetur. Sic loquēla e producit, quia cautēla,

ἐκδεσς.

§.1. Quidam per trichotomiam regulas in *generales, speciales & specialissimas* dispescunt, *generales* vocitantes quæ pertinet ad syllabas *omnes speciales*, quæ ad *plures*, nempe ad *primas & medias; specialissimas* verò, quæ tantum ad *primas, medias aut ultimas præcisè* spectant; nos verò *dichotomiam* hîc secuti, omnes regulas ad *plures syllabas spectantes* sub *generalibus* complexi, quæ ad *unam præcisè syllabam declarandam* faciunt, *specialium* nomine nuncupamus.

§.2. Dices fortean hîc, regulam hanc vanam & ipso regulato esse ignotiorem, cum fieri possit, ut ipsius compositæ vocis accentus, æquè lateat tyronem ac quantitas simplicis. Si dato casu, regula minus satisfaciât, confugiendum est ad regularū principium, nempe ad *authoritatem*, qua omnes regulæ nostræ nituntur.

§.3.4.

§. 3. 4. 5. Sunt quidem & multæ aliæ regulæ, eæque multò specialiores, quibus *mediarum* syllabarum quantitas determinari queat; sed tam variæ ac operosæ, ut tyrones iis nequaquam censeam onerandos aut defatigandos; quas tamen si quis requisiverit, inveniet magno numero collectas apud Gissens. Rhen. aliosque.

CAP. V.

De quantitate syllabæ ultimæ.

- I. Finita in *A, i, u, e, æ, es, os*, longa sunt;
 II. Excipiuntur, in *A* i, nominativi accusativi & vocativi, qui corripuntur, ut;

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

Virgil. 2. hæc tria adverbia: *itã, quã, postea*, ut:

Postea mirabar, cur non sine litibus esset.
 Ovid.

- III. In *I* excipiuntur, 1. Dativi & vocativi Græci breves, ut: *Alexi, Patri, Daphni, Amarylli*. 2. Pronomina, *mihî tibi sibi ubi nisi, quasi, cui*

cui & ibi, quæ communia sunt.

IV. In *c* excipiuntur brevia: *fac*, *lac*,
nec donec; *hic* pronomē anceps
est.

V. In *As* excipiuntur 1. Græca per *adis*
declinata, ut *Pallas adis*, *Olympias*
adis *Sicanas anatis*, *vas vadis*. 2. ac-
cusativi Græci in *as* plurales, ut
Lampadās Heroās &c.

VI. In *es* excipiuntur brevia 1. nomi-
na tertiæ declinationis, quæ cres-
cunt genitivo, penultimâ brevi, ut
milēs itis, *seges ētis*, *præsēs idis*,
præter *ceres*, *abies*, *aries*, *paries*, pro-
ducta.

2. Verbum *ēs* cum compositis a-
bēs, adēs, potēs, quib. adde penēs.

3. Græca neutra ut *cacoēthēs*, &
Græca pluralia per *e* scripta, ut *Ar-
cadēs*, *Atlantidēs*.

VII. In *os* excipiuntur brevia, *ōs* ossis,
exōs, *compōs*, *impōs* & Græca per
omicron scripta, ut: *Chaōs*, *Tene-
dōs*, *Palladōs*, &c.

Ende-

ex deo

§. 1. **I**n *a* longa sunt, ut: cantā, clamā, infra, supra, ultra &c. In *i* producuntur ut: legī dixī, Dominī, forī. In *u*, ut: cornū, genū, verū. In *e*, ut: Dic, duc, hic illic istic &c. In *as*, ut castitās pietās amās clamās. In *es*, ut: fidēs rēs species fortēs amorēs &c. In *os*, ut: custōs honōs bonōs ambōs &c.

§. 2. Quidam brevibus in *a* etiam eja ad-
jiunt, sed nullo fortè probati authoris exemplo. Manilius & CONTRA corripuit, ut: *contra jacet cancer, patulam distentus in alvū.* Sed numeralia indeclinabilia, in *inta*, ferè pro communibus habentur, ut: *triginta, quadraginta, quinquaginta &c.*

§. 3. Huc referunt & adverbium *uti*, cum compositis *sicuti, veluti*, & compositis ex *ubi*, ut *ubivis, sicubi, ubicunque*, quæ indifferentia, sed utique breve, *ibidem* & *ubique* longa sunt.

§. 4. *Fac* indifferens esse quidam censent, quod apud Ovidium legatur etiam productū quamvis correptum etiam; correptionem tamen potiore existimant Gissenenses, ob exempla potiora & frequentiora.

§. 5. In

§. 5. In *as* Græca per *ädis* flexa demum corripuntur; per *antis* vero, producuntur, ut *Pallās* pallantis, nomen viri.

§. 6. Producta apud Virgilium leguntur: *Cerēs*, *abiēs*, *ariēs*, *pariēs*, quamvis in cremētum eorum in Genitivo sit breve; sed non natura, verum ob censuram, ut versum heroicum ingredi possent, à Poeta producta esse, Gissenſes coniectant.

§. 7. Græca in *os* ex scriptura sua cognoscantur. Quæ enim per *u* scribuntur, longa; quæ per *o* brevia sunt.

CAP. VI.

I. In *o* communia sunt, ut: *Leō*, *virgō*, *legō*, *nolō*, *dicō*.

II. Excipiuntur 1. Dativi & ablativi secundæ declinationis, unà cum derivatis & compositis, ut: *Dominō*, *lupō*, *adeō*, *ideō*, tantò, quantò &c. His adde monosyllaba *do*, *sto*, *no*, *flo* &c. semper longa. 2. *modō*, *sciō*, & *nesciō* ferè tantum corripuntur: Gerundia verò in *dō*, in dif-

differentia censentur. Græca ex vocalibus suis cognoscuntur.

III. In *e*, *b*, *d*, *l*, *m*, *n*, *r*, quæque præterea aliter, quàm in *a*, *i*, *o*, *u*, *e*, *a* *s* *e* *s* *o* *s* desinunt, brevia sunt, ut: cubilē, monilē, Annibāl, circūm, limen, cæsar, carcer, &c.

IV. In *e* excipiuntur 1. ablativi quartæ declinationis, ut spē, faciē, speciē, quæque inde nascuntur adverbia, hodiē, pridie, quare, quibus additur & ablativus tertiæ declinationis, famē. 2. Imperativi secundæ conjugationis, ut monē, docē. 3. Adverbia in *e* facta ex nominibus secundæ declinationis, ut bellē, doctē, pulchrē, sic ferē & fermē, præter benē & malē quæ ultimam cortipiunt. 4. monosyllaba mē, tē, sē & prohibendi particula nē. 5. Pluralia neutra, ut tempē, & in e omnia, Græcis per *η* scripta, ut: Æglē, Circē, Euterpē.

§. 1. **P**ROductis etiam annumerant particulam *ergō*, pro causa positam; correptis verò addunt ambō duō octō & pronomen *egō*. Quæ tamen alii indifferentibus accensent Græca ex vocalibus suis nota sunt, nempe quæ in *a* exeunt, producuntur, ut *echo*, *Aleſto*, *Sappho*, *Clio*, &c. Quæ tamen in *av* desinentia, litteram *n* latinè abjiciunt, ultimam sæpius corripiunt, ut *Platō*, *Cicerō*, *egō*, *leō* &c.


§ 3. Brevia igitur sunt reliqua omnia, quæ sub terminationibus longis & o indifferentibus, non comprehenduntur, nempe, quæ in *e*, *is*, *ys*, *us*, & *y* itemque *b*, *d*, *t*, *l*, *m*, *n*, *r*, desinunt. Sic in *is* brevia sunt, ut *ignīs*, *funīs*, *patriīs*, *matrīs*. Excipe 1. dativos & ablativos plurales, ut *dominīs*, *nobīs*, *vobīs*. 2. in *is* declinata per *īnis*, *ītis* & *entis*, ut *Salamīs īnis*, *Delphīs īnis*, *Samnīs ītis*, *Simoīs Simoentis*, quibus adde hæc monosyllabica, *īs*, *glīs*, *dīs* & *vīs*. 3. Secunda persona præsentis indicativi, in conjugatione quarta, ut: *audīs*, *abīs* quibus adde *vīs*, *sīs*, *velīs*, *faxīs*, cum compositis quamvis, *quīvī*, *ubīvīs*. 4. Adverbia *forīs* & *gratīs* longa sunt; *ris* ultima futuri subiectivi est indifferens, Vt. *Dixerīs*

Et s egregiè — Horatius. *Da mihi te placidum, dederis in carmina vires.* Ovid.

Sic in *ys* brevia sunt, ut *chelys*, *capys*; excipe *Thetys*, Virgilio productum; Ovidio correptum. In *us* corripuntur: ut *annus*, *corpus*, *tempus*. Excipe 1. in *us* tertiæ declinationis, quæ Genitivis & longo crecunt, ut *salus* *utis*, *virtus* *virtutis*, *tellus* *uris*. 2. Quartæ declinationis Genitivum singularem, nominativum, accusativum & vocativum pluralem semper productum, ut: *fructus* *luctus*. 3. Monosyllaba, ut *mūs*, *rūs*, *plūs*, *jūs* &c. 4. Græca per *σ* scripta, ut *Iesus*, *sapphus*, *opus* *untis*, præter *ædipus* & *polypus* Ovidio & Horatio correptū. Sic & in *y* desinentia, ut *Thetys*, *moly*. In *b*, *d*, *t*: corripuntur, ut: *ab*, *id*, *et*, *caput*, præter peregrina per *o* & *σ* scripta, longa. In *l m n r* brevia sunt. Excipe in *l* *nil* & *sol*, & Græca, ex vocali longa, producta, ut *Δανιήλ* &c. *Min* sine eliditur indeque quantitatem nullā habet. In *an* brevia sunt, ut: *forsitan* &c. præter Græca quædam in *an*, ut *Paan*, & accusativos primæ declinationis, ut *Enean*, nec minus quosdam secundæ, ut: *Electran*. In *en* brevia leguntur, ut: *flumen*, *lumen*, præter *en*, *ren*, *splen*, *lien*, Latina; & Græca per *η* scripta, ut: *Siren* *Anchisen*. Sic & in corre-

corruptum est, præter quin̄, alioquin̄.
 sin̄, & nominativos Græcor, ut Delphin̄:
 Sic & ὄν Latinum, præter unum Nōn, mo-
 nosyllabum. Græca ex vocali sua quanti-
 tatem suam significant. Ut Ἀἰῶν per ω.
 Ἰλιὼν per ο. In ὅν Græca sunt omnia,
 quorum breves sunt accusativi, ut Ἰτύν, lon-
 gi nominativi, ut: Φορῶν. In r corri-
 piuntur, ut Cæsār, carcēr &c. præter
 pār cum compositis, mār, lār, fār & vēr
 & Græca in η, ut ἄθερ, κρατῆρ, ἰβῆρ
 &c. itemque *cūr* & *fūr* longa, & cō r quod
 est anceps.

LIB.



LIB. II.

*De carmine, eiusque affectionibus
& speciebus.*

CAP. I.

- I. *Carmen* est concinna versuum, in unum systema congeries.
- II. *Versus* est legitima pedum compositio certis regionibus definita.
- III. *Regio* est pars versus, certo pede constans.
- IV. *Pes* est mensura versus, ex certis certæ quantitatis syllabis constructa.
- V. *Pes* est vel bisyllabus vel trisyllabus.
- VI. *Pes* dissyllabus est, qui duas continet syllabas, ut Spondeus --, Pyrrhichius v v, Trochæus - v & Iambus v -.
- VII. *Pedes* trisyllabi sunt, qui tres continent

continent syllabas, ut, dactylus - *uu*, anapestus *uu* -, molossus, ---, tribrachys *uuu*, amphibrachys *u-u*, creticus qui & amphimacer - *u* -, bacchius *u--*, & antibacchius -- *u*.

ἐκθεσις.

§. 1. **C**Armen à canendo, vulgo eunt derivatum, quod tamen vix est ad salivam. Inde alii ab antiquo *caro* is catēre, i. e. carminare lanam, quod est à *καίγω* tondeo, quod carmen sit bene pexa ac tonsa oratio.

§. 2. Versus à vertendo dictus vel, quod verti sæpius & castigari debeat, juxta illud Homeri: *σάπη στυλὺν ἔρτας*; vel quod ab unius lectione veluti cursum vertimus, & ad alterum oculos atque obtutum reflectimus, Micyll.

§. 3. Omnis versus regio certo constat pede: sic prima hexametri regio, constat dactylo vel spondeo, secunda, tertia, quarta, item dactylo vel spondeo, quinta solo dactylo, sexta spondeo vel trochæo.

§. 4. *Pes* dicitur per metaphoram ab animalibus desumptam: quæ enim pedibus incedunt animalia, eos alternatim ponunt ac sol-

tollūt: ita pes metricus syllabam modò elevat
modò deprimīt.

§. 5. Annumerant & pedes *tetrasyllabos* tredecim, adeoque in universum viginti octo. Sed quid opus tanta entium multiplicatione? Vide interca omnes expositos apud Rhenium, Rennemannum, Gissenſes aliosque plures.

§. 6. *Spondeus* & *Pyrrhichius* sunt quantitate simplices; *Trocheus* verò & *Iambus* mixti. Quemadmodum enim *spondeus* ex utraque longa constat, ita *pyrrhichius* ex utraque brevi; *trocheus* verò & *jambus* ex brevi & longa, uterque.

§. 7. Pedes hi recensiti, in universum, duodecim sunt; *quatuor* dissyllabi, & *octo* trissyllabi. Qui tyronibus & ad componendum & resolvendum carmen faciliè suffecerint, quamvis nec horum omnium tanta est necessitas.

CAP. II.

De carminum generibus.


I. Carminum genera usitatioſiora sunt septem: *Heroicum*, *Elegiacum*, *Sapphicum*, *Phalacium*, *Anapesticum*.

B

cum, Adonicum & Iambicum.

II. Carmen *Heroicum* est, quod constat solis versibus *Heroicis*.

III. Versus *Heroicus* hexameter est, qui constat sex regionibus, quarum quatuor priores promiscuè recipiunt *daetylum* vel *spondeum*, quinta *daetylum* & ultima *spondeum* vel *trochaum*, juxta schema.



IV. Genus *elegiacum* est, quod constat versu *hexametro* & *pentametro* alternatim posito.

V. Versus *pentameter* est, qui constat regionibus quinque quarum prima & secunda promiscuè recipit *daetylum* vel *spondeum*, cum syllaba remanente longa; tertia & quarta *daetylum*, cum syllaba remanente longa vel brevi, ut:

$\begin{array}{c} \text{1} \\ \text{---} \end{array} \mid \begin{array}{c} \text{2} \\ \text{---} \end{array} \mid \begin{array}{c} \text{5} \\ \text{---} \end{array} \mid \begin{array}{c} \text{3} \\ \text{---} \end{array} \mid \begin{array}{c} \text{4} \\ \text{---} \end{array} \mid \begin{array}{c} \text{5} \\ \text{---} \end{array}$

A cane non magno saepe tenetur aper.

Endeosis.

§. I. **D**ico carminum genera *usitata* septem esse. nam alias in universum longè plura sunt; quæ apud Gissenses Rennomanum, aliosque videri possunt.

§. 2. Carmen Heroicum, alias *Hexametrum* dicitur, qui meris *hexametris* versibus constat. Dicitur *Heroicum*, à materia subiecta, quod hoc genere plerumque Heroum, nempe Regum, Ducum ac Principum facta sint perscripta.

§. 3. Quinta regio versus hexametri ordinariè quidem dactylum continet, est tamen ubi & spondeus locum inveniatur, ut in Virgilianis istis:

Chara Deum soboles magnum Iovis incrementum,

Constitit atque oculis Phrygia agmina circumspexit. 2. *Æneid.*

Qui & *spondaici* versus inde nominantur, nempe cum vel rei alicuius gravitas & amplitudo, vel moeror animique angor ingens decla-

declaratur, tum verò *quarta* regio *dactylum* contineat, uti est in datis exemplis. *Sexta* regio *spondeum* continet vel *trochaum* promiscue, quia ultima syllaba in quovis versu semper est libera, nempe & brevis & longa esse potest.

Cæterum notandum hîc 1. in versu hexametro Virgilium & *proceleusmaticum* pedem quandoq; adhibere, ut: *Genua labant* ~ ~ ~ ~

5. Æneid.

----- *Imo pulsabant ariete* ~ ~ ~ ~ *muros;*

12. Æneid.

Sed hîc v & j pro consonantibus legunt, nempe *Genua*, & *ariete*. 2. dari & versum hexametrum, in cuius ultima regione syllaba aliqua redundat, quæ cum vocali aut diphthongo versus sequentis coalescit, qui versus hypermeter appellatur, ut:

Omnia Mercurio similis, vocemque color
remque ~ ~ ~ ~ ~

Et flavos crines -----

Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorẽ

Aut foliis undam tepidi despumat aheni.

1. Georg.

3. & monosyllaba & polysyllaba in fine versus hexametri vitentur,

§. 4. Genus *elegiacum* alias etiam *pentametrum*, ob versum *pentametrum hexametro* junctum, nuncupatur. Dicitur *elegiacum* à dolen-

dolentis particula *i. e. hen*, & *ἀίω* dico. Unde elegia, carmen solis epicediis olim scribendis adhibitum.

§. 5. In pentametro versu notandum, 1. prius hemistichium versus pentametri dictione claudendum esse: indecorum enim est, si pars dictionis priori hemistichio contentæ, ad alterum se exporrigat, ut:

Hæc quoque nostra sententia mentis erat.
 2. Pentameter cum hexametro perfectam sententiam aut saltem colon integrum absolvat.
 3. monosyllaba & polysyllaba in fine vitentur.

CAP. III.

*De Sapphico, Phalacio, Anapestico
 & Adonico.*

- I. Genus *Sapphicum* est, quod constat versibus *Sapphicis*, ita ut tertio cuique *Adonicus* adjiciatur.
- II. Versus *sapphicus* est versus, constans regionibus quinque, quarum prima recipit *trochaum*, secunda *spondeum*, tertia *dactylum*, quarta & quinta iterum *trochaum*, ut juxta sequens schema.

1 2 3 4 5
 - - - - -
 | | | | |
 - - - - -

*Integer vita, scelerisque purus,
 Non eget Mauri jaculis, nec arcu
 Nec venenatis gravidâ sagittis
 Pusce pharetrâ.*

III. Genus *Phalacium* est, quod constat
 versibus *Phalaciis*.

IV. Versus *Phalacius*, est versus, quin-
 que habens regiones, quarum pri-
 ma *spondeum*, secunda *dactylum*, re-
 liquæ tres *trocheum* habent.

1 2 3 4 5
 - - - - -
 | | | | |
 - - - - -

Andit cuncta Deus, videtque iustus.

V. Genus *Anapesticum* est, quod pri-
 mis duabus regionibus recipit *ana-
 pastum*, vel *spondem*, tertia tantum
anapestum, cum syllaba residua.

uu - uu - uu -
 - - - - -

Iam mæsta quiesce querela,

Lachry-

Lachrymas suspendite matres.

VI. Genus *Adonicum* est, quod constat
solis versibus *Adonicis*.

VII. *Adonicus* est versus, duabus con-
stans regionibus, quarum prior *da-*
Etylum, posterior *spondenum* habet
vel *trochaum*.

1	2
- u u	- u
	u

*Sis mihi praesens,
Rebus in arctis,
Christe Redemptor.*

Ex deo 15.

§. 1. & 2. Genus *Sapphicum* dicitur ab in ven-
trice *Sappho*, Poetria Lesbica.

§. 3. 4. Dicitur. Genus *Phalacium* itidem
ab authore *Phalaco*, sive *Phaleuco*, ut quidam
volunt, unde & *Phaleucum* hoc genus carmi-
nis appellant.

§. 5. Carmen *anapaesticum* dicitur, à pede
anapasto, qui in eo dominatur. Omnibus e-
nim locis admittit *anapastum*, cuius quando-
que vices supplent *daEtylus* & *spondens*,

B 4

§. 6.

§. 6. 7. Carmen *Adonicum* ab *Adonide* filio Regis Cypriorum, sic appellatum esse perhibent, quod hoc genere carminis in threnis ejus fuerint usi.

CAP. IV.

De Iambico, bimetro, trimetro, & anacreontico.

- I. Genus *Iambicum* est, in quo præcipuè dominatur pes *jambus*.
- II. Versus *jambicus* est, qui locis imparibus *jambum*, *spondeum*, *anapestum* aut *tribrachyn*, rarius *dactylum*; paribus autem solum *iambum* aut *tribrachyn* recipit.
- III. Carmen *Iambicum* potissimum duplex est, *bimetrum* & *trimetrum*.
- IV. *Jambicum bimetrum* est; quod habet quatuor regiones; quale est illud Ambrosii.

Veni

I	2	3	4
u -	u -	- -	u u

Veni Redemptor gentium

I	2	3	4
- -	u -	- -	u u

Ostende partum virginis,

I	2	3	4
- -	u -	u -	u u

Miretur omne seculum,

I	2	3	4
- -	u -	- -	u u

Talis decet partus Deum.

V. Jambicum trimetrum est, quod habet sex regiones, quale est illud Horatii:

1	2	3	4	5	6
u -	u -	u -	u -	u -	u u

Suis et ipsa Roma viribus ruit.

VI. Jambico bimetrum, si syllabam finalem demas, vocatur Anacreonticum ut:

B s

Veni

I		2		3		
u -		u -		u -		u

Veni Redemptor orbis

Ex Deo

§. 1. **C**armen *Iambicum* à pede *jambo*, qui in eo dominatur, sic est appellatum: olim enim *jambicum* carmen solis *jambis* constabat præter syllabam ultimam, quæ semper in versu sui juris est. Postea verò Poetæ usurpare quoque *spondeum*, *dactylum*, *anapaestum* & *tribrachyn* ceperunt, sed locis maximè *imparibus*.

§. 2. *Loca imparia* sunt: 1. 3. 5. *Paria*: 2. 4. 6.

§. 3. Additur his etiam *tetametrum*, quod octo continet pedes, sed quia illud est rarius, hic prætermissum volumus. *Bimetrum* alias *quaternarium*, *trimetrum* verò *senarium* dicitur.

§. 4. & 5. *Jambicum bimetrum* quandoque cum *trimetro* conjungi solet, ut:

Beatus ille qui procul negotiis
Ut præscagens mortalium,
Paterna cura bobus exercet suis,
Solutus omni sænore,

§. 6.

§. 6. Eleganter & anacreonticus versus
jambico subicitur, ut:

*Quousque tu me negligis,
Extrema iam timentem?* pl. 13.

*Quousque tu me despicias
Vultus tuos petentem?*

Quin & jambicus versus uterque, tam bi-
meter, quàm trimeter, versui Heroico quan-
doque subiicitur.

Bimeter quidem; ut:

*Nox erat, & calo fulgebat luna se-
reno,*

Inter minora sidera.

Horat. epod. 15.

Trimeter verò, ut:

*Altera iam teritur bello civibus
eras,*

Suis & ipsa Roma viribus ruit.

Horat. epod. 16.

C A p. V.

De Carminis affectionibus.

I. Carmini accidunt *Scansio* & *Censura*.

II. *Scansio* carminis est, legitima ejus per pedes commensuratio.

III. Scansioni inserviunt quatuor hæ figuræ: *Synalaphæ*, *Eclipsis*, *Synaresis* & *Diarefis*.

IV. *Synalaphæ* est, cum vocalis finalis à dictionis insequentis initiali absorbetur, ut:

Ille ego qui quondam gracili modulatus avenâ

Nec gemer aëria cessabit turtur ab ulmo Virg.

Nec facil' est aquâ commoda mente pati. Ovid.

V. *Eclipsis* est, cum *M* unâ cum vocali præcedente, à vocali sequenti absorbetur, ut:

Omni-

*Omnibus hoc vitæ est cantoribus, inter
amicos,*

Vt nunquam cantent -----

VI. Synæresis est, cum ex duabus syllabis fit una, vocali in eadem dictione, aliam absorbente, ut:

Sen lentos fuerint alvearia vimine texta, Virg. Georg. 4.

*Vno eodemq; tulit partu, paribûq;
revinxit. Æneid. 12.*

*Atria dependent lychni laquearibus
aureis. Æn. I.*

VII. Diæresis est, cum syllaba una resolvitur in duas, ut:

*Stamina non ulli dissoluenda Deo.
Tibull.*

VIII. Cæsura est decora dictionis in versu per pedes intersectio. ut:

*Ille lacus nive-um mol-li ful-tus hy-
a-cintho. Virg.*

*Perque gra-dus ute-rum pe-ctusque
hume-rosq; ma-nusq;. Ovid.*

ἐκθεσις.

§.1. **A**lii plures carminis affectiones recensenti; sed hæ nobis sufficiant.

§.2. Scansio à scandendo per metaphoram dicitur, cum in pedum enumeratione ab uno ad alterum quasi scandamus.

§.3. Sunt quidem figuræ poeticæ longæ plures, ut *systole*, *diastole*, *prosthesis*, *aphæresis*, *syncope*, *epenthesis*, &c. sed quatuor hæ recensitæ scansioni tantum inserviunt; de cæteris alibi.

§.4. *Synalaphæ*, Græcè συναλοιφή, i.e. collisio, coalescentia, à verbo συναλοῖφω commisceo.

§.5. *Ecthlipsis*, Græcè ἐκθλιψις i.e. elisio, ab ἐκθλίβω elido, extero. *Elisioni* opponitur *hiatus*, cum vocalis antecedens è consequente non eliditur, ut:

Et succus pecori, &c. lac subducitur agnis.

§.6. *Synæresis*, Græcè συνήρεσις cohesio, à συναίρω cohereo.

§.7. *Diæresis*, διαίρεσις à διαίρω divido disjungo.

§.8. Dicitur cæsura è cadendo, quia dictio per eandem in duas partes cæditur & siccat. Quarum prior est finis pedis antecedentis: posterior initium consequentis. Porro divisionem cæsurae, in *semiternariam*, *semiquinariam*, *semiseptenariam* &c. Vide apud alios, potiss-

potissimum verò Gissenfes & Rhenium; nobis jam non licet esse tam prolixis.

Hoc tamen adhuc notandum. 1. cæsura tantum veis ui heroico conferre ornatum, ut sine co titubans planè & hiulus habeatur, ut:

Nuper quidam doctus capit scribere versus.

2. Tantam vim habere, ut sæpius syllabæ in quas incidit, alioqui breves per eam produci possint. ut:

Omnia vincit a-mor & nos cedamus a-mori.
Sed manum de tabula!

26(0) 80

Ne

Ne quicquam pagellarum
hîc vacaret, Lector benevole,
figuras geſſratim rei poeticæ inſervi
entes, ſuperiùs prolixitatis metu o-
miſſas, hîc reſtitutum ivimus.

I. Figuræ rei poeticæ inſervientes
vulgo numerantur quatuorde-
cim: *Proſtheſis*, *Aphareſis*, *Epen-
theſis*, *Syncope*, *Paragoge*, *Apocope*
Synareſis, *Diareſis*, *Metatheſis*,
Antitheſis, *Tmeſis*, *Syſtole*, *Dia-
ſtole*, & *Synizeſis*.

II. *Proſtheſis* eſt adjectio literæ vel
ſyllabæ in principio dictionis, ut
tetuli pro *tuli*; *gnatus* pro *natus*.

III. *Aphareſis* eſt abjectio literæ vel
ſyllabæ, à principio dictionis, ut
temnere pro *contemnere*.

IV. *Epentheſis* eſt adjectio literæ vel
ſyl-

syllabæ in *medio* dictionis, ut
navita, pro *nauta*, *induperator*,
 pro *imperator*.

V. *Syncope* est *abiectio* literæ vel syl-
 labæ, è *medio* dictionis, ut *dixi*,
 pro *dixisti*, *repostus*, pro *repo-*
situs.

VI. *Paragoge* est *adiectio* literæ vel
 syllabæ, in *sine* dictionis, ut *dici-*
er pro *dici*, *agier* pro *agi*.

VII. *Apocope* est *abiectio* literæ vel
 syllabæ, à *sine* dictionis, ut *tun'*
 pro *tune*, *dic* pro *dice*.

VIII. *Synæresis* est *contractio* dua-
 rum syllabarum in unam, ut *ne-*
goti pro *negotii*, *Dīs* pro *Diis*.

IX. *Diæresis* est *distractio* unius syl-
 labæ, in duas, ut *suavis*, pro *sua-*
vis, *dissolūenda*, pro *dissolvenda*.

X. *Metathesis* est *literarum* trans-
 positio, ut *Tymbre*, pro *Tymber*,
αγαδια pro *ααδια*.

XI. *Anantithesis* est positio literæ,
pro litera, ut olli pro illi, optimus
pro optimus.

XII. *Tmesis* est dissectio vocis cō-
positæ, ut:

Quam e cunq̃ue vocant terra;

Virg. Æn.

XIII. *Systole* est correptio syllabæ,
naturâ longæ, ut:

*Obstupui, steteruntque coma, & vox
faucibus hæsit.*

*Matri longa decem tulerunt fastidia
menses.* Virg.

XIV. *Diastole* est productio sylla-
bæ naturâ brevis, ut:

Italiam fato profugus &c. ----

XV. *Synizesis* est coactio duarum
syllabarum, in unam, ut:

Alvearia quatuor syllabis, Sic Virg.

Seu læto fuerint alvearia vimine texta.

Ex Deo.

§. I. Numerus hic figurarum poeticarum
vulgaris est; aliàs, si accuratius agere velimus

Dia-

Diaresis & *Synizesis* fortè coïncidere possunt. Sunt qui addant *Diplasiasmum*, cum consona in eadem dictione geminatur, ut *relligio*, pro *relogio*, repperi pro reperi; sed alii ad *Epenthesis* hanc figuram referre malunt, quàm entia sine necessitate, multiplicare.

§. 2. *Prosthesis* Græcè προσθεσις, i. e. appositio, à προστιθηναι appono.

§. 3. *Apharesis*, Græcè ἀφαίρεσις i. e. ablatio, à verbo ἀφαιρέωμαι, aufero.

§. 4. *Epenthesis*, Græcè ἐπιένθεσις, id est; interpositio, à verbo ἐπιτίθηναι interpono. Ad *epenthesis* refertur *Diplasiasmus*, cum consonans geminatur, Græcè διπλασιασμός geminatio, a διπλασιάζω gemino, cum sit species *Epentheseos*, omnem in medio dictionis additionem complectentis.

§. 5. *Syncope*, Græcè συγκοπή, id est concisio, à verbo συγκόπτω concido.

§. 6. *Paragoge*, Græcè παραγωγή id est adductio, à verbo παράγω adduco.

§. 7. *Apocope*, Græcè ἀποκοπή id est abscisio, à verbo ἀποκόπτω abscindo. *Syncope* & *Apocope* in eadem dictione, potissimum apud Comicos, non raro concurrunt, ut audin' pro audisne, vin' pro visne, ubi in medio est *syncope*; in fine *apocope*.

§. 8. & 9. De *Synaresi* & *Diaresi* actum nobis supra.

§. 10. *Metathesis*, Græcè μεταθεσις, id est, trans-

*Errata, quae irrepsere graviora,
sic corrigantur.*

Pag. 8. lin. 18. lege *Diphthongus*. pag. 9. lin. 12.
leg. *more*. p. 10. lin. 13. l. *Diphthongi*. p. 18. li.
8. leg. *casuram*. p. ead. lin. 12. leg. *Quae enim*
per a scribuntur. p. 19. lin. 4. leg. *in e, b, d, t.*
lin. 9. leg. *eclipsis*.



Fl 472

ULB Halle
004 102 924


3



86

VO 17







972
3863

SYNOPSIS
POETICES
LATINÆ,

Sen
cepta Poetica, succinctè
adita & explicata, captui-
que tyronum angustæ
accommodata,

Ab
TONIO ITTERO,
Philosophiæ Magistro & p. t.
Gymnasii Mœno-Franc-
furtani Con-
rectore.

••(o)••
FRANCOFURTI,
Sumptibus
SPARI WÆCHTLERI,
vis Balthazaris Christophori Wustii.
M. DC. LIX.